DE GYMNASIARCARVM MVNERE.

ORATIO.

PAVLI de Anticis Æſinatis
habita in Monte Bodio

A IOANNE Piccionio MontVlmenſe
eius Auditore.

DICATA

Perilluſtri, & Ampliſs. Magiſtratui,
PRÆCLARISQ; MONTIS BODII
CIVIBVS.



MACERATÆ,

Apud Iulianum Carbonum. 1627.
SVPERIORVM PERMISSV.

Adm. R.do P. Mro Horatio Ciuello.
fr. Bartholomeus Sonnona

Perilluſtribus, & Ampliſſimis Prioribus, ac Præclaris Montis Bodij CIVIBVS.

Paulus de Anticis Æſinas S. P. D.

SI mihi deficiunt, quas vellem ſoluere grates,
Hunc codicem paruum (vt queo) mitto meum.
Sit quicunq; tamen, grato pro munere vobis
Ipſe dico, & mando tempus in omne typis.
Suſcipite; hic trado mentem cum corde, meumq;
Trado animum: quæ ſunt congrua dona viris.
Et, quoniam primum ſpecimen monſtrare debentis
Opto, etiam Terræ Diſtichon iſtud erit.

HAEC SPLENDORE VIRVM LAVDATVR, ET VBERE GLEBAE
TEMPERIEQ; POLI, LAETITIAQ; SOLI.

ORATIO.

HOC nobile OPPIDVM, non procul ab Adriatico ſinu poſitum, Piceni decus, Cereris, liberiq; delitias, vberem Palladis hortum, Togæ, Militiæq; ſpecimen, Virtutis, Honoriſq; Templum, Vrbanitatis, Humanitatiſq; domicilium; quod ſcilicet tàm decoratum conſpicitur, vt ad vſum, ad ſpeciem, ad ipſam operis perfectionem, nihil deſideretur; quàm maxime Pręceptor meus non videre tantum, ſed præſens etiam pernoſcere docendo exoptauit. Id equidem veſtro (Optimates prudentiſſimi) ſtudio adeptum illum eſſe intelligo: apud vos, inquam, iuſſu publico ductus, humaniores literas profitendo, facile voti compos efficitur. Vtinam verò, quo excelſior eſt delati muneris amplitudo, eo maiorem in vos primam hanc animi ſignificationem pręſtare valeat. Sed vehementer animi pendimus, nec, quid conſilij capiamus, ſatis habemus exploratum. Huius loci præconia laudum recenſere vellemus: verum alienigenæ veremur, ne dicendo tante veſtræ antiquitati, conditoribus, ſitui, opulentiæ, ſtudijs, pietati, monumentiq; reſpondeamus. Dabitur fortaſſe alias ad laudes eas delineandas liberior, latiorq; excurrendi campus. At interim, vt tinitu æra, ita ſermone homines dignoſcuntur: quàq; profitemur artem, ea ferè tota ſermone continetur, haud vidaremur iuſta reprę henſione carere, niſi huiuſmodi experimento partim cognoſcendos præberemus. In primis autē Præceptori, quanta ſit eius auctoritas, videndum eſſet: nam

Præceptorem connumerat inter Megiſtratus diuinus ille Plato, qui eorum quinq; genera eſſe confirmat, legitimum ſcilicet, naturale, æquum, ac rectum, per ſucceſſionem generis, violentum, ſiue tyrannicum. Primum enim gerunt initis ſuffragijs à Ciuibus creati: alterum mares, qui cunctis in animantibus præeſſe fœminis debent: tertium Præceptores pueris diſcipuliſq; præpoſiti: quartum qui hæreditaria ſucceſſione ad Principatus aſcendunt: poſtremum vero inuitis, coactiſq; Ciuibus imperantes. At nobis propoſitum non eſt, vt de Preceptoris auctoritate modo dicamus. Vel de arte differentibus doctrinæ, ac diſciplinæ laus, veſtraq; de his debita, ac proinde etiam laudabilis cura, honorifice recenſenda ſeſe offerret: ſed, ne longius, quam par eſt, oratione progrediamur: neue hoc cuiquam alterius videatur eſſe negotij; ſilentio præteribimus, quibus rationibus ſit diluenda opino aſſerentium, nullius rei poſſe haberi ſcientiam: quo pacto ſcientia non ſit reminiſcentia (quod ſenſiſſe Platonem, aiunt) ſed Marte noſtro, aut præcipuè tradente aliquo ob vim quandam mentibus noſtris à natura inditam, vel potius à ſummo, ac ſupremo huius vniuerſitatis Parente, atq; opifice Deo ingenitam, acquiratur, vt Ariſtoteles, & Aſſecle voluerunt.

Nec referamus in quot ſpecies generalis illa ſcientia, Philoſophia videlicet diſtribuatur: quomodo partes ſingulæ inter ſe mutuo ſecernantur: quotue gradibus eadem perficiatur: cur ſummum bonum minimè ſit, vt Herillus ait: immo nec per ſe bonum, ſed neutrum quoddam, licet ad illud via ſit compendiaria; ſcientia enim cum virtute coniuncta ſapientię ſibi nomen vindicat, quam deinde optatiſſima illa beatitudo conſequitur. Hæc, inquam, omnia breuitatis ergo miſſa faciamus: ſed tandem non nulla percurramus, & qua poſſumus facultate adumbrabimus, quæ libata ſcriptorum fontibus ad noſtrum potiſſimum munus attinent. Quocirca de Gymnaſiarcarum munere agens, in erudiendis adoleſcentibus tria hęc pręceteris publicè docenti perficienda eſſe cenſemus. Primum Ipſe varia excultus doctrina, latinęq; linguę benè gnarus, quod alios docturus eſt, percalleat: nemo

enim

enim dat (velut trita ſententia eſt) quod non habet: immo omnes ferè ſcientias, atq; ingenuas artes pingui ſaltem Minerua attigerit: ea namq; aliunde humanitatis, ſiue communium litterarum ſtudia non dicuntur, niſi quod ſint, vti commune Emporium, in quod varia quæq; ſcientiarum genera, quæ decent hominem, conueniunt. Neq; hoc abſurdum: vt, ſi humaniores literas reuera profiteri, earumq; perfectæ laudis ſe compotem eſſe ſtudeat, rerum ferè omnium, artiumq; bonarum ſcientiam comprehendere, earumq; ſcriptores Peruoluere, legere, interpretari, corrigere, refellere, probare, atq; elicere queat: qui ſecus verò arbitratur, ab huiuſmodi nempe rebus alienus, remotuſq; exiſtit, eum obtuſum, & inſcium ſomniare dicimus. Quòd vtiq; Mureti teſtimonio probatur, cui (Auditores) non aures modo, ſed mentes quoq; adhibete attentas. Non in ijs (inquit ille) quibus Medicinæ, Iuriſq; ciuilis ſcientia continetur, quicquā reperias, cuius intelligentiam non ex illis ipſis, de quibus ſcripti ſunt, artibus repetere poſsis. At Præceptoribus quotidie ſunt explicandi ſunt libri, qui cū ſcripti ſint à varijs omni ſcientia exculti, ipſi quoq; innumerabiles locos ex omni diſciplinarum genere depromptos habent:

Non medio turpe dicitur, neſire leges, non Iuris perito, vel medicam, vel aſtrorum ſcientiam tenere: Præceptor vnus eſt, cui omnis illa liberalium artium varietas non pertrattanda quidem, ac pernoſcenda penitus, ſed deguſtanda tamen, & delibanda neceſſario eſt.

Deinde verò, cum nulla (vt Boetius teſtatur) ſit magis pernicioſa diſcipulo vita Magiſtri contumelioſa (infuſa enim videntur ſæpiſſimè confundi, & fœtido vaſe; quia fœtidum vas aquas corrumpit infuſas) bonis moribus, literiſq; inſtitutus, non benè docendi tantum, ſed benè viuendi etiam commonſtret vias. Sicut enim præclarus ille opifex Polycletus, poſtquam de artificio ſuo librum edidit, ſtatuam à ſe accuratiſſimè factam protulit in apertum, re ipſa præſtando, quod alijs præcipere conſueuerat: ſic etiam Inſtitutor ea præcepta, quæ diſcipulis tradere ſolet, ſuam vitam exprimat. Quare moribus non minus, quàm doctrina ipſa fulgeat, ac præſertim pietate, quæ ante omnes requiritur virtutes. Non ne Deum,

qui largitur in docendo,diſcendoq; vires, colere precibus, & exemplo,æquiſſimum,ſiue potius neceſſarium? Ob pietatem in deſpectis habitam pleriq; Magiſtri cum diſcipulis ſuis dedere calamitates. Optimum igitur præbeat exemplum,quo magis, quàm verbo excitantur pueri, qui cum ſint ad imitandum naturam procliues, quod exemplo faciunt, illud demum rectè facere autumant. Atq; totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet, vt ſapientiſſimè cecinit Venuſinus.

nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu

Si quidem à natura compertum eſt,quibus rebus maximè aſſueuimus, ſemper ijs nos potiſſimum delectari: quæq; ſtudia pueri concepimus, à conſuetudine horum nos ipſos in reliqua vita ingenti cum difficultate poſſe diuelli. Rectè ideo Quintilianus ſcribit, Ingenitum, & naturale nobis videri, quod vſu, & conſuetudine comparatur: ac tantam eius vim eſſe, vt naturam ſuperet, & ſi parua ſit, à recto, itinere abducat. Valida etiam hæc ratio, quod omnis ſcientia ad rectè, beateq; viuendnm, tamquam ad peculiarem ſuum, & optimum finem eſt referenda,ne ſit exitio potius,quam ſaluti ſic enim Plinius ad Hiſpulam de filio ſcribens, Trade,inquit, eum Præceptori, à quo mores primum, mox eloquentiam diſcat, quæ male ſine moribus diſcitur. Ad hanc deniq; rem vera conſpicitur manutiana illa nunquam ex Ludimagiſtri animo delenda ſententia, Quales ſunt (inquit Aldus) qui inſtituunt, tales, & qui inſtituuntur, velint, nolint euadere longa die: imo verò,ſi adoleſcentuli, & ſanctos mores,& bonas ſimul literas edoceri nequeunt,potior nobis ratio viuendi honeſtè,quàm vel optimè diſcendi videretur. Tertio eum ſibi modum in docendo ſeruandum proponat, vt diſcipulorũ ingenijs præcongitis pro cuiuſq; captu à facilioribus ſemper incipiat; compendiarias primum regulas exponat ediſcendas

quas planè breuiſſimas nèqueunt facilè obliuiſci. Sic quoq; in alijs ingenia rerum mangitudine, ac difficultate diſputationum onerare, & perturbare effugiat, neq; plus oneris imponat, quam per eorum naturam licet; çum maximè illos facere in doctrina magnos progreſſus intelligat. Hinc rudimentis humilioribus perceptis ad grauiora dogmata eos trãſferat, & gradatim ad ingentiorem laborem procedat. Qua in remathematicorum ordine (vt ita dixerim) ſeruato, mente complectatur, tanti eſſe ordinem in diſciplinis facile tradendis, vt abſq; eo mancam quodumodo, & inchoatam docẽtis peritiam eſſe arbitretur. Plecara itaq; illa opinio apud Xenophontem in œconomico relata à mureto iure commendatur, Nihil eſſe, aut pulcherius, aut ad vſum commodius, quam ordinem: nihil contra, aut aſpectu fœdius, ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incomoda afferat, quam confuſionem, & perturbationem: atq; eo magis, quod ſcientis ſignum eſt poſſe docere. Tum eius prudentia, vel maximè apparet: vbi enim nullus ineſt ordo, ibi confuſio adſit, neceſſe eſt, ſicut liricus canere voluit.

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos vltra, vtraq; nequit conſiſtere rectum.

Ex quo nimirũ, & percipiendi facilitas, & retinendi fidelitas oritur: alterius alterum cauſa intelligitur: nec ſcire aliud eſt, niſi rem per cauſam cognoſcere: eundem iure optimo appellamus memoriæ parentem, quam id circo muſarum procreatricem opinati ſunt Poetę: quod verè tantum ſcimus, quantum memoria tuemur. Non ne diſciplina omnis, Quintiliano teſtante, memoria conſtat, fruſtraq; docemur, ſi quicquid audimus præterfluat? At ea potiſſimum commendanda memoriæ, quæ vtpote venuſtas formulas, graues hiſtorias, ſapientium dicta, plæclara reſponſa, ſalutares monitus inueniet.

Idem præterea naturæ legibus obtemperans, quæ hominẽ non ad otium, & quietatem, ſed ad negotium, atq; exercitationem naſci voluit, dum laboris patiens eſt, Gymnaſio inludet; eo

det eo enim pacto tradet exemplum illis, qui noctu, diuq; ſtudijs inuigilare debent: præcipuè verò in pueros ingenij facultate duros perſeueret, nam fiunt aſſiduitate molles.

Non ne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Rogatus igitur beningè reſpondeat: quandoq; ipſe interroget: ſit in ſermone verax, & in iudicio iuſtus neminem otioſum eſſe patiatur, ſed aliquod legentem, ſcribentem, audientem, meditantem ſinat. Enim verò otium iners, ignauum, deteſtabile eſt, in quo, qui viuunt, plus habent negocij (verè ait Ennius) quam cum eſt negotium in negotio: id languorē affert, & animi deſidiam: id à ſtudij curſu arcet: id honeſtati quoq; aduerſari videmus, quamobrem tum imbrobatur à Catullo.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt
Otio exultas, nimiumq; geſtis
Otium, & Reges prius ac beatas
Perdidit Vrbes,

tum ab Horatio,

Vitanda eſt improba ſirea
Deſidia.

Non eſt hoc loco prætereundum, vt Gymnaſiarca lucidiorem ſtilum præmeditatus, ita ſermonem latinum, planum, ornatum, aptumq; ex Auctoribus claſſicis exigat, vt, licet ab Arpinate omnis rerum, verborumq; copia ſumi valeat, nimis tamen ſuperſtitioſam eius imitandi curioſitatem inter impedimenta diſcendi à quibuſdam numerari meminerit: vocabula tamen impropria, & impura, ac minus quàm elegantia vti, ſcopulos caueat. Præſtantiſſimum ducimus, non nulla ex italico in latinum ſermonem vertenda tironibus præponere, vt formulas vtriuſq; linguæ benè percipiant, ac teneant. Rectè ſcribendi, recteq; interpungendi ſcientiem pueros erudire velit: quippe qui ius latinitatis barbariſmis, ſolæciſmiſq;

peruer-

peruetere ſolent. Non infructuoſum igitur, ſi Præceptoris induſtria tirunculi, licet totam orationem comprehendere nequeant, ſe ſaltem à mendoſo themate abducant, referendo exemplaria punctis rectè, & appoſitè diſtincta, vt inde gradatim procedant ad effectum. Huc accedit pronunciatio, de qua Cicero 3. de Oratore aſſerit, nolle exprimi literas putidius nolle obſcurari negligentius, nolle verba exiliter exanimata exire, nolle inflata, & anhelata grauius. Quæ quidem tàm neceſſaria eſt, vt de iuuentute, quæ in dies perficere enititur, mereri maius, meo quidem iudicio, neqneat, quam in vitio ſermonis, in accentibus præſertim peccare detineat. A poetico oratorium numerum ſecernat: atquè interpretans lectiones, ſenſum exponat, ſententias ſeligat, dubitationes, cauſaſq; aperiat, eleganter ſcripta annotet, ad Rhetorica ornamenta ſe conuartat, & verba demum declaret. Sin autem Poetarum figmentis aliquod intercedat impudicum, reſpuat: ea tamen interpretanda, ac recenſenda neceſſariò ſolum commemoret honeſta, vel ſaltem perbreui narratione, vtpote, Iouem in faciem Tauri conuerſum ob Puellę ſtuprum;eundemq; volantis vnguibus rapuiſſe Ganymedem; & Martem cum Venere deprehenſam ſpectante Deorum coetu iacuiſſe, quæ ſi ad moralitatem referat, erunt nullo bubio velut aurum ex ſordibus eruere, ac per ſpinarum denſitatem Roſam decerpere. Explicaturus itidem lectiones, nullo quidem pacto ampulletur in ſermone, nimioq; faſtu, nec exquiſita plane argumenta, quæ oſtentationem habent præter Auditorum captu (niſi præſente Viro excellente) adhibeat. Solent etiam Pueri delectari fabellis: quæ ſi vitam erudiant, poteſt moderator referre nonnullas ad leuandos animos, qui longo ſtudio affecti ſunt labore. Nouerit poſt hęc, multa ex loquendi præceptis conſtare ratione, plura autem auctoritate, plurima adhuc, & omnia fere vſu,

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi, vt Horatius admonet. Idcirco eam viam, quam præcipuè peritiſſimorū omnis memoriæ hominum impreſſam cernit veſtigijs, ſummoperè teneat: quæq; à doctis, claſſicisq; Viris de grammatica, aliaue ſcientia tradita ſunt, benè tradita exhibeat.

hibeat. Tum cohortationibus, tum obiurgatiobus Adoleſcentes fidei ſuæ commiſſos à voluptate eſca omnium malorum, inimica virtutis, qua homines velut hamo piſces capiuntur, arceat, ac deterreat; nihil enim æque ſcientijs aduerſatur: eoſdem ad ſtudia bonarum artium pro viribus inflammet, nihil enim æque conducit. Proinde, quoniam iuxta Peripatetici conſilium oportet addiſcentem credere, & diſcipulis tanquam militibus ſub Inſtitutore, velut Duce ſacramento muſarum adactis omni fiducia imbibenda ſunt documenta: atq; ijs facilius fidem habemus, quos colimus; ab ipſis auditoribus diligi, ſimuloq; obſeruari ſtudeat: à ſui contemptu declinet: nam ſi pueri eum contempſerint (Vetruuianis verbis vtar) eius quoq; præceptiones contemnant, neceſſe eſt: quamobrem plus humanitatis, quam familiaritatis præſeferat. Quin etiam decorum ſeruet: omnes pari beneuolentia, ac ſtudio complectatur: ſic totum Gimnaſij corpus curet, ne, dum partem aliquam tuetur, reliquas deſerat: diuerſorum tamen ingeniorum habeat delectum: qui vbi nullus habetur; qui fieri poteſt, vt ibi ſit prudenria? Plato præclarè docet legum ſexto, inæqualibus æqualia fieri inæqualia: pariterq; Plinius, Æqualitate in ferendis ſentenſijs nihil poſſe inueniri inæqualius. Verùm hæc prudentia in Præceptore apprime volenda eſt, qui diſpoſitiones, vel ſemina animaduertere, ac pernoſcere debet: quæ enim praua erunt, præcipuó quodã ſtudio purgare, ac corrigere; quæ vero proba idoneo cultu ad bonam frugem perducere enitatur. Mox Ipſe in puerorum animaduerſione, dum parentum munus ſapientium imitatur, non flagellis velut aſellos cedat, neq; blanditijs velut catellos excipiat: ſed vita gradiens madia, nunc iucundè, nunc ſeuerè tractet, at ſeuerus cum blanditia, & blandus cum ſeueritate, aſſiduè moneat, hortetur, obiurget, non autem contumelioſe, ſed minis quibuſdam, voluptatum, malorumq; deformitatem oſtendat. Id quoq; factum probo, & expertus loquor, agnoſcendam aſſe puerorum neturam, quorum vni ſi acerbus eſt Inſtitutor, inutilis, alteri verò ſi dulcis, vtilis: vtriq; autem ſi moderatus, vtiliſſimus.

In hoc enim valet Iſocratis exemplũ, qui Ephorum, ac Teopompum eru-

erudiens; vni frenum, alteri verò ſtimolum adhibere conſueuerat. Contra verò bona parce laudare, non eſt à docendi inſtituto alienum: namq; meritæ laudes dicuntur, & verè dicuntur quidam fomes, & eſca virtutis; nec non ad optime viuendum calcar. Poſtremum illud eſt, etiam, atq; etiam adoleſcentum animos in mutuam æmulationem concitare, cuius dulcitudine ſtudia, aut alliciunt, aut allectos detinent animos: hæc enim generoſa inuidia nobilibus inſita animis, certatim æmulantes reddit alacriores, ac tardioribus aptata ingenijs incuti, & ſtimulos, incendet ad ſtudia: hæc etiam, altis, acutiſq; ingeniorum viribus proficiendi, repetendi, & cum diſcipulis perſepæ diſputandi gignet cupiditatem. Ijs rebus poteſt Gimnaſiarca adijcere actionem tam venuſtam, grauem, idoneamq; ad permouendam animorum audaciam, quanta eſt, vt diſcipuli toto audiente Gymnaſio, vel alibi præſente nobilium, erudiorumq; cœtu, orationes, & carmina pronuncient. Quare in his omnibus, alijſq; Eiuſmodi permultis Præceptor induſtriàm, ſtudium, diligentiam, & operam ſtatuere debet, ſi decus ſibi, addiſcentibus vero vtilitatem conciliare arceat. Licet igitur hoc docendi munus, multum laboris, permultum induſtriæ, plus doctrinæ, longè plus probitatis, optimum inſtruendi modum, & tandem plurimum prudentiæ, humanitatiſq; ſuppenditet: hoc tamen infelici ſeculo cordis dolore deplorando, vbi literarum ſtudijs nullus propemodum honor exhibetur, fere negliguntur Magiſtri: qui, ſi erudiunt, in formantq; ſtudioſos, & ad excolendam iuuenum mentem, aliquod in commune afferre ſolent potius publicis laudibus cohoneſtari deberent. Nihilominus nulla cum negatione coniunctum, immo vel illud conſolationis, præmijq; argumentum ſit, quod, qui docet alium (vt ſapientes afferunt) ſe ipſum docet: bonitatem adipiſcitur, cuius eſt proprium ad alios transfundere, quibus ipſa abundat: tanquam parens iterum generat efficiens, vt, quod dicuntur homines, id verè dicâtur homines, quoniam literarum diſciplinæ à natura ferarum ſeparant, animoſq; illuſtrant: inſtituit non fluxi, ſed permanentis patrimonij hæredes: ignorantiam, quæ malum maximum eſt, deſtruit: ſcientiam, quæ maximum

ximum bonum, impertitur: à ſeruo deniq; diſentit, qui talentum ſuum fœnerari noluerat. Hæc igitur omnia (vt noſtra tandem videatur cauſa inſtitutus ſermo) quæ tantil o labore recenſuimus, quantum vires ferent, ſumma ope Præceptor meus efficere conabitur: ac ſperat, ſe aliqua ſaltem, neq; prætermiſſurum neceſſaria, neq; cōſectaturum inutilia: ita vt Adoleſcentibus in hoc conatu pro ſua induſtria, & eruditione non defuerit. Si quod verò contigerit minus accuratè factum, vel dictum, quàm huiuſmodi muneri, & oneri reſpondere videatur, memores quæſo (Auditores) conditionis humanæ, in qua pauca exiſtunt perfecta: Bonus enim quandoq; dormitat Homerus: & Omnia intelligere (vt præclare ſcripſit Seneca) & omnium habere memoriam, diuinitatis eſt potius, quam humanitatis. Si quid, inquam, ſuo marte veſtras offenderit aures, ſibi met ipſi dicēdum ſit quod tertio de Trinitate Diuus Auguſtinus ſcribere non dubitauit. In omnibus libris meis non ſolum pium lectorem, ſed etiam benignum correptorem deſidero. Parcite ne grauemini eo doctiores, atq; amica lingua quæſo caſtigetis. Eo demum dicendi itinere ad vertendam nobis erga veſtras (Prudentiſſimi Ciues, & Conſiliarij) humanitates, orationem aditus patet. Non minus optabile, quam honorificum ducimus, inter ingenioſos, eruditos, & exercitatos Gymnaſiarcas, qui veſtræ Reipublicæ inſeruire potuiſſet, eum vnum, qui omnibus ſe imparem fatetur, ad hoc munus obeundem eſſe delectum, quod quidem veſtræ beneuolentiæ acceptum fert, & offert ſe ipſum inſtar Æſchinis, qui ſocrati ſuo ſe ſe obtulit. Ergo cum de vobis benemereri ſecus nequeat, niſi fateatur, præter ſe ipſum nihil habere, comprecatur, complectamini eum adictum, velut Socrates Æſchinem ſuum fuit complexus. Dixi.

FINIS.